

F
VII

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS. DE VENENO EX RABIDIS ANIMALIBUS,

QUAM,
PRÆSIDE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris
HERMANNI OOSTERDYK SCHACHT,
A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORIS, HUJUSQUE
THEOR. ET PRACTICAE PROFESSORIS,
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*,
& *Nobilissimae* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*;
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINÂ Honoribus ac Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,
Eruditorum Examini submittit,

JOANNES HOLLAND, Anglo Brittannus,

Ad diem 30. Augusti 1734. horâ locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOH. ARN. LANGERAK, 1734.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

VENENO EX RABIDIS ANIMALIBUS.

nter omnia Phænomena, quæ nostros sensus externos afficiunt, & quæ facultates nostræ perpendunt: nulla sunt magis stupenda; nulla, quæ nostros intellectus magis torquent; nulla, quæ nostros conatus extricandi magis repellunt; nulla, quæ magis tenebris hactenus circumsepta jacent, quàm venena.

At inter omnes morbos nostra corpora obruentes, nulli tam varia & horrenda symptomata, nulli tam exitiales & lethales effectus cient, quod summoperè dolendum est, nulli, qui magis artem medicam spernunt, quàm venena.

Oh quàm aliena hic omnia quàm videbitis miraculosa!

Quis stupores mortalium; Quis torpores, doloresque; Quis tremores, ardores, inflammationesque; Quis erosiones atque putredines, spasmos; suppurationes, Gangrænasque, omnes demum hujusce comites horrore summo vacuus perpendere ausit.

Quis vomitus, Ilea, Dysenterias & Peripneumonias; Quis vertigines, vigilias, manias melancholiasque; Quis convulsiones, deliria, Paralyses, Apoplexias & alias morborum Catervas ab his incitatas absque maximâ tristitiâ in animo pervolvat.

Quosdam attonitos furentes, alios rabiosos videas, alios lætos, tristes permultos & timidos; prout varia accepti vel assumpti veneni vis & proprietas. Nonnulli celerem, alii tardiorem mortem obeunt, sunt, qui facilem, alii difficilem; Nonnulla quæ statis & certis temporibus ferè interimunt; ut quædam statìm, alia post paucas horas, alia post quosdam dies, alia post quasdam septimanas, alia post quosdam annos. Quædam cum sensibili, alia insensibili effectu. Nonnulla, quæ toti nostro corpori adversa sunt, alia solummodò determinatis quibusdam partibus; Ut nonnulla cerebro, alia cordi, alia ventriculo, alia intestinis, alia vesicæ, alia hepati maximè inimica sunt. Neque ulla pars contra contagium munita corporis nostri invenitur. Quædam enim olfactu, alia gustu, alia intuitu, alia halitu, alia ictu, alia morsu, alia deglutitu, solo lædunt.

Quis mortalium fortiſſimus, ſanitatis vigore & ætatis ſuperbus, toto trahat pectore vaporem, qui de ſpumante muſto fervens exſilit exiguum per ſpiramentum ex ingenti cado, æſtuante præcipuè vindemiæ tempeſtate, horreſco referens! Mortuus cadit, ut fatale Jovis fulmen velociùs non feriat. Lethali Cicuta necat & frigido, ſtupore; Deliriis terrificiſque horrendum ſpaſmis aquaticum Sium noſtras; Oenantharum maxima ſtupendis exitialis anxietatibus; Aconita præfocant; Exurunt Euphorbia; furores Solanum; dementiam fatalem Hyoſcyamus; Stramonium memoriæ vim deletam parit, & mortem indè; factumque certa miſcela Indorum Toxicum ipſo tremendum ſono, Pouſt, deletâ omni divinæ auræ particulæ facultate tabidi corporis aridam modò imaginem linquit. Dipſas ſiti, putredine Seps, Cantharides ardore urinæ, ſputo ſanguinis Lepus marinus, Vipera ictero, Aſpis ſomno, inflatu Preſter, ſanguinis per omnia effluxu Hæmorrhoiis, occidunt, halitu ſolo rabioſus Canis. *a*

Quot, animalia, quot vegetabilia, quot mineralia, hâc lethali pernicie impregnantur; cogitare horreo! Quæ tam parvâ moleculâ, quæ tam divinâ auræ particulâ a minimo veneni atomo noſtra corpora ita inquinantur, ut prorsùs deſtruantur.

Quis ſagaciſſimorum Philoſophorum, quis attentiſſimorum Alchymiſtarum, quis peritiſſimorum Medicorum, quænam ſit Phyſica natura iſtarum particularum, nobis demonſtrabit, ut hæ tam variæ mutationes in nobis productæ eſſent.

Sed de his ampliùs tractare, me, ex meo propoſito ſubduceret, ideoquè ad venenum ex rabidis animalibus me convertam. Quod ut rectè obſervat Cl. Robertus Boyle *b.* inter omnia venena vix ullùm eſt, cujus phænomena magìs mirabilia ſunt, quàm venenum a rabido cane.

Morbus Græcis Λύσσα, Latinis rabies vocatur, & quia a canum morſu ut plurimum oritur, Κυνόλυσσος ab Andreâ Medico *c.* dictùs eſt, ἀπὸ τοῦ κυνὸς, & Λύσσα; Latinis rabies canina; Vel a ſymptomate terribili ab aliis ὑδροφοβία nominatur, ab ὕδωρ aqua & φόβος timor. Morbus plerumquè ab hâc cauſâ originem ducit, ſed animalia fere quæcunque hoc malo affici, ſuoque contagio, alia & ipſum hominem lædere poſſunt: Ut inter Authores fide dignos multa exempla habentur, qui iſta animalia ſpontè rabie affici memoraverunt.

Animalia huic morbo obnoxia.

Ut legimus apud Thomam Bartholinum, *d* Olitor in hortis Nariis in Italiâ correptus improviſo inſultu a Veteri Gallo Gallinaceo atroci

a Boerhavii oratio de honore medici, ſervitute. *b.* Boyles opera per Dr. Shaw edita Vol. 1. p. 435. De effluv. *c* Cælii Aureliani de morb. acut. lib. 3. cap. 9. *d* Hiſtor. Anat. & med. Cent. v. cap. 52.

& morſu in ſiniſtrâ manu ſanguinis Guttis profluentibus viſus. A primâ vulneris die ringens ore inventus, nec igne, nec ferri ullis præſidiis juvantibus, pugnacis Galli inſtar decumbens, die tertio exſpiravit. Quoque refert Cælius Aurelianus *a*. Quendam à Gallo Gallinaceo pugnante levitèr læſum, in rabiem veniſſe.

A Fele, nobilis Venetus diro iſto morbo periit, Euſtachio Rudio *b*. teſtante. Tribus abhìnc annis Venetiis (ait) quidam, qui navalibus illius civitatis operibus præerat, fuit in crure a fele demorſus, qui adeò, arctè & tenacitèr carnem cruris dentibus premebat, ut non niſi ab adſtantibus ſtrangulatus evelli potuerit. Sed demorſus paucis poſt diebus ab imperito Chirurgo agglutinato vulnere hydrophobicus interiit. Felis autem rabie fuit correptus, ut ejus domeſtici ſuſpicati ſunt, quia vel pulmentum pro muribus enecandis paratum, vel eoſdem mures veneno interfectos, comederat. Ita Hildanus *c*. rabiei communicatæ a fele rabidâ hiſtoriam tradidit. Quoque inquit Zacutus Luſitanus *d*. Novi binos pueros in lecto decumbentes a fele rabidâ vulneratos, hydrophobiâ obiiſſe.

Ab Urſo hominem ſauciatum, & rabie, quam vocant, & hydrophobiâ inde correptum certò ſcimus, ait Euſtachius Rudius *e*.

Haud ſecùs in Actis Philoſophicis Doctor Howman *f*. hominem hydrophobicum factum a rabido vulpis morſu benè deſcripſit.

Equum rabie furentem vidiſſe, cum in rure degeret, teſtatur Mathiolus *g*.

Lupos obſervavit Julius Palmarius *h*. viginti rabie percitos, eodem ferè tempore e ſylvâ egreſſos, in omnis generis animalia obvia magnâ ſtrage debacchatos fuiſſe, paucaque ex iis, quæ demorſa fuerint, evaſiſſe. Ita narrat Fernelius *i*. venatores quoſdam edentes Lupum, non multo poſt tempore, rabie correptos fuiſſe. Iterum ait Felix Platerus *k*. ſic a Lupis in rabiem actis accidere teſtantur, egoque bis rabiem horrendam & lethalem inde profectam obſervavi.

Et non ſolùm hæc; ſed Bartholinus *l*. memorat in Pago Sælandiæ, æſtate ferventiſſimâ, Sues plurimos rabie correptos fuiſſe. Quoque vidit Palmarius *m*. Sues rabie affici, & morbum deguſtando ſtramentum, in quo iſti decubuerant, contraxerunt alia animalia.

Sed quod mirabiliſſimum eſt, hiſtoria habetur in Actis Phyſico-Medicis Academiæ Cæſareæ, *n*. De Lutrâ ſpontè rabie affectâ

a loc. cit. *b* De morb: occult: & venen: lib: 4: cap: 12. *c* Obſer: Chir: Cent: 1: obſ: 86: *d* De Prax: med: admir: lib; 3: obſ. 87: *e* De morb. occult. & venen. lib. 4 cap. 12. *f* Lowthorp Abridgment vol. 3. p. 280. *g* Comment. in lib. ſext. Dioſcoridis cap. 36. *h* De morb. contag. p. 329. *i* De morb. contag. lib. 2. cap. 4. *k* De funct. læſion. lib. 1. cap. 3. *l* Hiſt. Anat. & Med. cent. 5. hiſt. 52. *m* De morb. contag. p. 329. *n* Vol. 3. obſ. 2.

(quantum in propatulo eſt) quæ mulierem mordens circa vigeſimum ſeptimum diem hydrophobica facta, cum ſummis furoribus, motibus convulſivis, & deliriis abſque remiſſione, poſt quatuor dies e vivorum numero exceſſerit.

Præter hæc, Cœlius Aurelianus *a*. Leopardos & Aſinos numerat, qui ſunt ſimili rabiei obnoxii: Et Avicenna *b*. eſt Author, etiam Muli ſunt, qui ſuis aliquando morſibus dominos & ſtabularios rabidos reddiderunt.

Ita etiam aliquandò ruri commorans fieri in omnibus ferè animalium generibus, obſervavit Palmarius *c*.

Eſt præterea poſſibile (ait Cœlius Aurelianus *d*.) ſine manifeſtâ cauſâ hanc paſſionem corporibus, ſc. hominum, innaſci, cum talis fuerit ſtrictio ſpontè generata, qualis a veneno. Quod ab Apollonio Pergameno *e*. memoratum eſt, fuiſſe ait memoriæ commendatum multos quidèm ex iis, in quibus ob aliam cauſam aquæ timor natus eſſet (quos ὑδροφόβους apellant) fuiſſe ſervatos: ex iis vero, qui a cane rabioſo morſi fuiſſent, ſervatum eſſe neminem. In aliis quoquè recentiorum, ſpontè hominibus hydrophobiam naſci legitur & obſervatur. Euſtachius Rudius *f*. dicit „ Idem mihi obitèr confirmatum a Proſpero Alpino fuit. Is enim Praxin exercens in quandam honeſtam mulierem, quæ tandèm poſt diuturnam ægritudinem nullâ prægreſſâ aut rabidi animalis morſus, vel ejus ſputi ſuſpicione, in aquæ timorem incidit; etiamſi ſolida alimenta non abhorreret. Quòd ab aliis quoquè confirmatur, ſed quià præcipuè hæc duo ſequentia exempla tam clara ſunt, alia omittam. Alterum ab iſto lumine Medicinæ eruditiſſimo Boerhaave, in Collegio ſuo privato memoratur. De quodam lictore, quem vidit, qui miſſus ſubitò ob publica negotia inter Leydam & Harlemum maximè feſtinavit, & toto die in ſole æſtuantiſſimo degit, nil niſi ſpiritu vini hoc tempore aſſumpto, perfecit negotia, redit eodem die & poſteà, in febrem ardentiſſimam incidit, non potuit guttam liquoris ſumere, aquam & ſalivæ deglutitionem metuit, ut reverà his hominibus fit, illoque a morbo mortuus eſt, ut omnes rabie caninâ, intra quatuor dies. Alterum a Doctore Innes *g*. nuper ſocio iſtorum peritorum Profeſſorum Edinburgi traditum eſt; De quodam homine, qui cum inflammatione ventriculi, reſpiratione ſuſpirante, vultu torvo, vertigine & oculorum hebetudine laboravit, deliravit, veſtes &c. furore laceravit, ſalivam fortitèr perpetuò projecit, omninò bibere non potuit; quam-

a De morb. acut. lib. 3. cap. 9.
b Lib. 4. Fen. 6. tract. 4. cap. 6.
c De morb. conr. lib. 5. cap. 1.
d De morb. Acut. lib. 3. cap. 9.
e Oribaſii Synopſ. lib. 9. cap. 13.
f De morb. occult & venen. lib. 4. cap. 13.
g Medical Eſſays vol. 1. p. 283.

quamvìs in remiſſione potum maximè petivit, ab eo viſo horrore, tremore, timore, convulſionibusque, correptus fuit.

An his imprimìs ex cauſis internis abſque contagio prævio ſpontè naſcatur hujusce modi malorum Ilias. Nata, dein ab ullo iſtorum ſpontè rabie affecto, contagium iisdem modis communicari poteſt aliis animalibus, quibus cani rabido communicari ſolet, ut iſti effectus ſequerentur, maximè ab authoribus diſputatur.

Galenus *a.* vult reliquorum animalium nullum rabie affici, ſolum canem rabie corripi, & ab iſtâ primâ origine, omnibus aliis animalibus rabiem communicari. In quibus caſtris Fracaſtorius *b.* Chriſtophorus a Vega *c.* Mercurialis *d.* Hebenſtreit *e.* Liſterque *f.* exſtiterunt.

Certè novimus id venenum eſſe calamitoſiſſimum; nam propagari poteſt cum natum ſit, in alia, & iterum in alia ad infinitum ferè. Sed an ex cane ſolo vel an etiam in aliis animalibus ſpontè oritur, ſub judice lis eſto. Ex iſtis authoribus priùs memoratis, puto contrariùm docuiſſe experientiam. Probabilius ergo mihi videtur, ut in animalibus ferè omnibus ſpontè oriretur, & ab iis communicaretur aliis, abſque contagio prævio rabidi canis. Quamvìs id rarò fit & plerumquè a cane originem ducit. At haud noſtrum eſt tantas componere lites.

In his animalibus aut ex aere, aut ex cibis & potibus, *g.* vel abuſu aliarum rerum ſex non naturalium oritur hicce morbus. Cauſa pro catarctica in brutis.

Primò patiuntur hoc magìs in illis regionibus, in quibus maximæ & inæquales ambientis Atmoſphæræ mutationes inordinatæ fiunt, in quibus & hyemes vehementes, & æſtu excellentes dominantur *h.*

Iisdem manibus torquentur in Regionibus fervidis. Dicit enim Cœlius Aurelianus, *i.* videtur hæc paſſio etiam frequentari quibusdam temporibus vel locis, ut apud Cariam atque Cretam. Hæc enim Inſula aliorum venenoſorum animalium penè libera, ſolâ canum rabie vexatur frequentiſſimè. Et Scribonius *k.* Largus obſervat quod plurimi ſint rabioſi canes in Siciliâ.

Ab tempeſtatibus ſubitaneo ſydere æſtuoſis, ſiccisque diu durantibus ortam teſtatur Paulus Ægineta *l.*

Non verò ab his cauſis ſolùm, ſed obſervatum eſt ex cibis rabioſi fierent canes, quum cadaverum vel carnes, vel ſanguinem lam-

a Lib. 6. de loc. affect. cap. 5. *b* De morb. contag. lib. 2. cap. 10,
c Comm. in progn. Hipp. lib. 3. progn. 22. *d* De venen. Can: rab: cap. 5.
e Horſtius de morb: contag: lib: 7: obſ: 22: *f* Exerc: med: de hydroph: p: 131 & 132;
g Aviennæ lib: . Fen: 6 Tract: 4: cap: 5; *h* Ætii tetr: 2 Serm: 2: cap: 24:
i De morb: Acu. lib: 3: cap: 15: *k* De comp: medic: cap: 43: med: art: princip:
l De re med: lib: 5: cap: 31

lambunt ac devorant, præſertìm ſi morticinæ carnes putridæ jam flaccidæ vermibus ſcatentes fuerint; plùs in rabiem faciliusquè efferantur *a*. Preſertìm ſi in Catenis alligatis aqua iis non detur.

Ex aquis quoque putridis magnâ quantitate potatis oriatur rabies *b*.

Vel ſi poſt vehementes labores atque exercitationes bibere prohibeantur, illa animalia ſpontè hunc morbum conceperunt *c*.

Addit Præterea Ambroſius Paræus *d*. mœrorem & anxietatem, ex amiſſo domino ſæpè eos in varia itinera transverſos olfactu obviâ quæque laborioſè tentantes, & paſtus immemores in furorem agi.

Porrò ſi vermes renibus, cerebro, cavis narium olfactoriis innati ſint, rabiem producunt, ut ex diſſectione obſervavit Bonetus *e*.

Vulneris tractatio a rabido & non rabido multum differt, ut in aprico eſt.

Demorſos enim ab iis curare ſtatìm oportet omni legitimâ curatione, etiamſi ulcus ſit perexiguum, & extremitatem ſolùm occupet, nequè cicatrix celeritèr inducenda eſt, ut rectè admonuit Oribaſius *f*. Namque ex prophylacticâ curatione ſummum emolumentum, penè ſolum frugemque accipit morbus. Ergo fortaſſè non inutile erit, ſi ſigna vel ſymptomata in rabido Cane enumerantur, ut non modo morſus evitetur, ſed ſi quis morſu vel ullo alio modo venenum accipiat; recta methodo quam citiſſimè tractaretur.

Primus Gradus morbi in cane.

Incipientis rabiei in canibus ſigna ſunt hæc. Imprimìs, torvè & ſolito triſtiùs intuuntur; *g*. ſolitarii fiunt, & ſe abſcondunt in quodam angulo cum aliàs ſemper hominum conſortium quæſiverint; *h*. muti ſunt quoad latratum & velut deſipientes; *i*. murmurantes tamen & grunnientes; *k*. cibum potumque omnem adverſantes *l*. quamvìs ſiti vehementi correpti ſint; potum tamen non admittentes; *m*. in ignotos quoslibet irati & irruentes, heri tamen adhuc memores & reverentes, caudamque dimittentes, ſomnolentorum inſtar accedentes; Hinc heri plerumque non rabidos eſſe credentes mordentur. *n*.

Secundus Gradus.

Deinde plerumquè anhelant, ore autem hiant, linguam exſerunt, Salivam largam & ſpumoſam eructant, multamque ſaniem ex naribus projiciunt, aures autem inclinant, caudamquè laxatam habent, &

a Valleriolæ obſerv: med: lib: 3. obſ: 3: *b* Avicennæ lib: 4: Fen: 6: Tract: 4: cap: 5:
c Palmarii de morb: contag: lib: 5: cap: 1: *d* De venen: lib: 20: cap: 11:
e Sepulc. Anat: lib: 1: Sect: 8: obſ: 9: & additam: obſ: 3:
f Synopſ: lib: 9: cap: 13: *g* Dioſcordis lib. 6. cap. 36.
h Avicennæ loc. cit. *i* Pauli de re med. lib. 5. cap. 3. *k* Boerhaave Aph. 1135.
l Dioſcordis loc. cit. *m* Ætii ex Rufo & Poſidonio Tetr. 2. Serm. 2. cap. 24.
n Boerhaave loc: cit.

& inter pedes gerunt; *a.* mòx ne herum quidèm ampliùs agnoscunt *b.* sed omnes appropinquantes mordent, caput in alterutrum latus inclinant atque deprimunt, *c.* subitò gracilescunt & sicci evadunt; oculi rubescunt. *d.*

Posteà omnia enarrata exacerbantur, maximè furiosi fiunt, & nunquam quiescunt, sed modò huc, modò illuc intempestivè ac inordinatè citra modum vagantur & discurrunt; *e.* haud unam & certam viam tenent; sed vertiginosi titubantesque ebriorum more non rarò in terram præcipites ferutnur; *f.* in omnes passim sine latratu irruunt, & æquè feras, hominesque tam familiares, quam ignotos mordent. *g.* Imò omnes parietes, stipites, arbores, truncos, vel alia quæcunque animata, vel inanimara sine distinctione invadunt; *h* oculos, demissos & pulverulentos, linguamque plumbeo colore violatam habent; *i.* convelluntur & tanquam strangulati moriuntur *k.* addit prætetea Avicenna *l.* quod reliqui canes ab eo diffugiunt, eique si repentè fit obviam, cedunt & blandiuntur. Tertius Gradus.

Hos duos ultimos gradus vix triginta horis ferunt, quin obeunt.

Quò animal vehementius furit, diutiùs morbo laboravit & mortì propius est; eò homo citior hydrophobiâ laborabit, & morsus lethalior, symptomataque acutiora & violentiora erunt.

Ex omnibus venenis hactenùs notis vix ulla tam multiplicibus modis, & etiam tàm parvâ moleculâ nostrum corpus pessundant. Nam a morsu & isto levissimo nos afficit, ut apparet ex diro isto casu quem memorat Mathiolus, *m.* quod ait, Tridenti evenisse scimus clarissimo Baldo utriusque legis Doctori. Is siquidèm inter ludendum cum quodam suo catello jam rabie affecto, leviter in inferiori labio demorsus fuit. Sed ipse hujusce rei ignarus, quarto post mense rabidus factus, & tandèm hydrophobicus miserabiliter mortem obiit nullo adjutus medicamento. Quod etiam ab antiquissimis temporibus, ut ex Dioscoridis, *n.* Aetii, *o.* Actuarii, *p.* Pauli, *q.* Cornelii Celsi, *r.* Cælii Aureliani, *s.* Avicennæ, *t.* scriptis patet; & ab omnibus aliis autoribus, qui istum morbum tractaverunt, usquè ad nostra tempora abundè confirmatum est. Varii modi contagionis communicandæ Ex morsu.

Multi

a Ætii loc. cit. *b* Boerhaave loc. cit. *c* Palmarii loc. cit.
d Galleni lib. de theriac. ad Pison. *e.* Palmarii loc. cit.
f Avicennæ lib. 4. Fen. 6. Tract. 4. cap. 5. Paræi de venen. lib. 20. cap. 11.
g Dioscoridis lib. 6. cap. 36. *h* Avicennæ loc. cit.
i Boerhaave Aph. 1135. *k* Jos. de Aromatariis disp. de rab. cont. p. 5.
l loc. cit. *m* Comm. in lib. 6. Dioscoridis cap. 36
n Dioscoridis loc. cit. *o* Ætii tetr. 2. Serm. 2. cap. 24.
p Actuarii de Meth. med. lib. 6. cap. 11. *q* De re med. lib. 5. cap. 3.
r De re med. lib. 5. cap. 27 *s* De acut. lib. 3. cap. 11
t Avicennæ loc. cit.

Multi autèm eruditiſſimi Autores venenum hocce non contagioſum fieri arbitrantur, niſi per morſum, vel a cute priùs dilaceratâ, per ſalivæ rabidi animalis contactum.

Quod certè omnium longè frequentiſſimum eſt, & ut plurimùm non niſi hiſce modis communicatur. Tanta autem huic atrociſſimo veneno ſeſe propagandi vis eſt, ut plurimis aliis modis, in alias derivari poſſit, ut ex ſequentibus fide digniſſimis authoribus ſpero probandum fore.

Ab Inſpiratione,

Per inſpirationem ſcilicet ſcribit Aretæus *a*. Quin etiam & a rabido cane, qui in faciem, dum ſpiritus adducitur, tantummodò inſpiraverit, & nullo pacto momorderit, in rabiem homo agitur. Quod quoquè aſſerit Cælius Aurelianus *b*. his verbis; Hominum hydrophobicorum, quidam in hydrophobicam paſſionem devenerunt ſolius adſpirationis odore ex rabido cane adducto, cum deflexione quâdam naturalis ſpiratio vexata venenoſum aerem adducit, & talibus inſerit partibus.

Ab oſculo,

Ab oſculo tantùm rabido animali dato, triſtem hiſtoriam narrat Julius Palmarius. *c*. Cum Ruſticus enim quidam rabie perculſus furiiſque agitatus ſibi e vivis brevi migrandum eſſe intelligeret, aſſidentes, qui eum vinculis conſtrictum tenebant, furoris intermiſſione obnixè rogavit, ut quos mox deſerturus eſſet liberos ſibi deoſculari liceret: quod quùm ei fuit conceſſum, liberisque oſcula libaſſet, præfocatus eſt. Sed ecce ſeptimo poſt die liberi eodem modò correpti, iisdem cruciatibus torti, brevi miſerrimam vitam cum morte commutârunt. Alteramque hiſtoriam De illuſtri quâdam fæminâ Zacutus Luſitanus *d*. habet, quæ rabidum canem jam ſuffocatum, quem in deliciis habebat, ter lacrymis obortis deoſculata fuit: Et ſic ſeptimo die, rabie immani perculſâ furiiſque agitata e vitâ migravit. Quoquè narrat Cardanus *e*. nobilem quendam Venetum oſculaſſe canem rabidum, antequam emitteret ſuffocandum & hinc rabiem contraxiſſe ac mortuum eſſe.

Ab eſu rabidor. animalium,

Ab eſu animalium rabidorum ſcribit his verbis Fernelius. *f*. Hâc æſtate venatores quidam in lupum ſæviorem irruerunt, trucidatum in varia obſoniorum genera apparârunt, & coxerunt. Omnes quicunque eſitârunt non multo poſt tempore rabie correpti, alii perierunt, alii ſociorum morte prudentes ſibi proſpexerunt. Ita refert Surius *g*. in ſuis Commentariis; Cauponem quendam hoſpitibus carnes porci rabidi canis morſu infeſtati edendas propoſuiſſe (parum certè

a De Cauſ: & Sign: morb: Acut. lib. 1. cap 7 *b* De morb: acut: lib. 3. cap. 9
c De morb: contag. lib. 5. cap. 1 *d* Zacuti Luſitani de prax: med: admir: lib 3: obſ. 86
e Senerti ex Cardano Contradict: 9 tract. 5 lib: 2 *f* De morb. Contag. lib: 2 cap: 14
g Abel Roſcii ex ſuo diſſert: de hydroph: in Hildani obſ. Chirur. cent. 1 pag. 65

certè hospitaliter) ubi homines ejus rei ignari comederunt; mox versi in rabiem, mutuis se morsibus lacerarunt. Et non solum ab carnum esu animalium rabidorum; equos autem, boves, oves, & reliqua animalia, quæ stramentum degustassent, in quo rabie perciti sues decubuerent, rabiem contraxisse tandemque periisse Vidi, inquit Palmarius. *a*.

Neque ab his solum. Sed refert Cælius Aurelianus *b*. Sartrix quædam, quum chlamydem scissam rabidis morsibus sarciendam sumeret; atque ore stamina componeret, & linguâ pannorum suturas lamberet assugendo, quo transitum acus faceret faciliorem, tertiâ die in rabiem venisse. Quod quoquè confirmat Gulielmus Fabricius Hildanus *c*. de quâdam matronâ, quæ vestes laceratas in viâ publicâ a canis rabidi dentibus habuit, cute tamen mulieris illæsâ & intactâ. Illa vero nescia canem rabiosum fuisse laceratam vestem filo (prout sarcinatrices factitare solent) dentibus abscisso resarcire cæpit; unde post tres menses facta hydrophobica cum omnibus aliis diris synptomatibus in eâ miseriâ animam efflavit. A Suctu

Neque enim solum ore admissum nocet hoc venenum, sed etiam extra corpora scilicèt cuti integræ sine vulnere; Ut scribit Ætius *d*. tanta inde humorum fit alteratio (sc. ex canum rabidorum veneno) ut si eorum canum saliva solum corpus humanum contigerit, confestìm rabiem inducat. Quod confirmavit Mathiolus *e*. se duos vidisse scribit, qui spumâ tantum perfusi, nullo quidèm ex morsu accepto vulnere rabiem contraxerunt. Quoque in consiliis Joh. Mathei de Gradi *f*. legitur, Magnificum Dominum Coqueranum infectum fuisse rabie post multos dies ex solâ impositione manus in os canis rabidi, etsi eum canis non momorderit. Et Dom. da la Pryme *g*. in Actis Anglicanis, historiam tradidit de fratris sui famulis, qui manus in os catuli rabidi sæpiùs imponebant & attrectaverunt: robustior cum gravibus capitis doloribus semel vel bis per horæ spatium indies vexatus, post hebdomadam, recuperavit. Alter vero rabie correptus, symptomatibus ibi descriptis vexatus, miserrimè periit. Alteram porrò a Domino Keneda *h*. relatum habemus, binos pueros memorat, hunc novem, illum decem annos natum, per crebram vulneris attrectationem & ablutionem in capite canis recepti, ex alterius rabidi morsu, unde vulnus sanatum est & bene valuit; Ambo vero Hydrophobici facti, indies paroxysmis A Tactu

a De morb: contag: lib: 5 cap: 1

b De morb: acut: lib: 3 cap: 9 *c* Observ: chir: Cent: 1 obs: 86

d Ætii tetr: 4 Serm. 4 cap: 68 *e* Comm. in lib: 6 Dioscoridis cap. 36

f Consil. 82 *g* Jones abridgm. vol. 5 pag. 366

h Philos: transact. abridg'd by Lonthorp. vol. 3 pag 282.

mis ad horæ ſpatium cum rictu & latratu, convulſivoque motu exacerbatis per duas vel tres ſeptimanas, tum temporis ſymptomata terga dederunt.

Ex Diſſectione. Ex diſſectione animalium rabidorum Johan Pierius Valenianus *a*. refert eos, qui canem rabie laborantem diſſecuerant; eâ affectos exhalatione contagionis vim efficaciſſimam expertos fuiſſe. Ita iſte Belgicus Hippocrates, edoctiſſimus Profeſſor Boerhaave, *b*. a me ſemper ſummâ veneratione in memoriâ tenendus, amicum inquit novi ſedulum animalium ſectorem, in diſecando hydrophobico animali deprehendiſſe, qui poſtea parvo tempore hydrophobicus obiit. Porro ſtudioſus quidam Zelandius canem ſuum in primo gradu rabiei conſiſtentem inciſioni anatomicæ deſtinaverat, animal aperuit; & quum incautus ageret, leviter ſeſe lædit, rem tamen neglexit, ſed domum reverſus miſerrimè mortuus eſt.

A contactu inſtrumenti quo animal occiſum fuit. Quoque a contactu etiam frequenti inſtrumenti, quo dudum antea animal rabioſum occiſum fuit, infectio communicatur. Inter obſervationes enim D. Eſaiæ Meiſchneri *c*, hæc continetur his verbis; Puer adoleſcens apud equitem nobilem, forte fortunâ invenit deliteſcentem ſub ſpondâ Gladium, quo exactis pluribus annis canis rabidus confoſſus fuerat. Is ſibi, ut concederetur, petiit, quo facto quum enſem rubigine obductum extergeret & perpolire vellet, puer improvidus ſibi digito infiixit vulnuſculum, unde rabie percitus nemine advertente periit. Ita refert Zacutus Luſitanus *d*. Generoſus quidam vir canem rabioſum videns, illum gladio circumfodit, & eo immiſſo in vaginam curſum ſuum peregit. Ecce poſt octo annos cum irâ percitus tres invaderet, eos graviter gladio eodem percuſſit. Hi vulneribus curatis citra manifeſtam cauſam poſt tres annos recuſare potum inceperunt, tandem verſi in rabiem furiisq. agitati vitam cum morte commutârunt.

A vulnere levi per animalium rabidorum ungues. Non ſolum per ſalivam cuti laceratæ vel integræ applicatam hocce venenum lethale fiat, ſed etiam per unguium corneam ſubſtantiam, hæc ſubtilis particula penetrat; & nos afficit. Ut ſcribit Cælius Aurelianus. *e*. Alii rabidi animalis unguibus læſi in rabiem devenerunt. Memoratur, ait, denique, ſic mulierem in hydrophobicam paſſionem veniſſe, cui facies fuit a parvo catulo laceſſita: Et quidam a Gallo Gallinaceo pugnante leviter læſus in rabiem veniſſe dicitur. Ita memorabilis hiſtoria habetur in Hildano *f*. De juvene quodam qui a fele rabioſâ ſcalpturam in dextro pollice accepit: ubi epidermis vix offenſa fuit. Atque ille inſcius felem rabioſam fuiſſe, hanc ſclapturam

a Diſſert de hydroph. Abel. Roſcii in Hildano obſ. Chir. Cent. 1 p. 65
b In privato Collegio. *c* Abel. Roscii loc. cit. *d* De prax. med. Admir. lib. 5, obſ. 87 *e* De morb. Acut. lib. 3, cap. 9 *f* Obſerv. Chir. Cent. 1, obſ. 86

ram (quæ non diu poſt ſponte coaluit) planè neglexit. Nullus enim ſequebatur dolor, nulla inflammatio aut aliud ſymptoma. Sed poſtea rabie correptus cum omnibus aliis diris ſymptomatibus e vita migravit. Et Novi inquit Zacutus Luſitauus *a*. binos pueros, qui in lecto decumbentes a fele rabido in pede ungnibus dilacerati poſt quatuor annos rabie vexati periere.

Non autem ex his concludere licet, puto; quod ſemper hiſce modis certè evenit. Nam omnes, qui demorſi ſunt, ſcimus non rabie affici, ſed pauciſſimi beneficio temperaturæ ex ſe, aut non contrahunt contagium aut ſuperant; ut Fracaſtorius *b*. aliique benè obſervaverunt, & plerumque evenit ſcimus ſputum non contagioſum fieri, ſi in integram cutim inciderit modo ſtatim probè deterſus & elotus fuerit locus: Ut Paræus *c*. & Palmarius *d*. notaverunt: Sed ut nonnunquam evenire hiſce modis hominis temperie, cœlique tempeſtate favente, cum cute apertâ, in ultimo morbi ſtadio, poſſit: nunquam reor ullam pati repulſam queat.

Nihil certè in Phyſicis difficilius demonſtrari invenitur, quam quod poſt acceptum vel communicatum hocce venenum, alii citius, alii tardius in rabiem aguntur, nil interim incommodi ſentientes niſi ex vulnere dolorem; tamen ubi ſe prodere incipit, nullum virus tam atrox, adeoque hominem immutans eſt; & quod tam violenter celeriterque furit. Nam ſtatim ex Hiſtoriâ ante memoratâ Bartholini p. 4 & 5. apparet. Alius poſt tres dies ex hiſtoriâ antea memoratâ Aureliani p. 11. Alii apud ſeptimum diem ex hiſtoriis Luſitani & Palmarii p. 10. Alius poſt vigeſimum quartum diem habet ex hiſtoriâ Turneri *e*. Alius apud trigeſimum ſecundum diem ex hiſtoriâ eruditiſſimi Doctoris Richardi Mead *f*. Alius circa trigeſimum ſecundum ex Liſtero *g*. Alius poſt ſex ſeptimanas ex Howman hiſtoriâ *h*. Alii poſt tres menſes ex hiſtoriis Hildani *i*. Alii poſt ſemiannum ex hiſtoriis Foreſti *k*. Alium poſt octo menſes vidit Fracaſtorius *l*. Alius poſt biennium ex hiſtoriâ Hebenſtreit, *m*. Alius poſt tres annos p. 2. Alius quatuor poſt annos p. 3. ex hiſtoriis antea traditis Luſitani. Hinc manifeſtum eſt non ſtato definitoque tempore exoriri: plurimi tamen circa quadrageſimum diem ſtatuunt ut Dioſcorides *n*. Ætius *o*. Paulus *p*. Cœlius Aurelianus *q*. cum pleriſque, aliis ſcriptoribus. Sed uſque ad annum decimum octavum a canis rabidi morſu metum aquæ acceſſere refert a Guainerio Foreſtus

a De prax. med. admir. lib. 3 obſ. 87. *b* De morb. cont. lib. 2 cap. 10 *c* Opera de venen. lib. 20 cap. 13 *d* De morb. cont. lib. 5. cap. 1 *e* Philoſ. tranſact. abridg'd by Lowthorp vol. 3. p. 281 *f* Jones abridgm. vol. 5. p. 367 *g* Exercit. de hydroph. p. 113 *h* Lowthorp vol. 3 pag. 280 *i* Obſerv. chir. Cent. 1 obſ. 86 *k* Obſerv. lib. 10 obſ. 28 *l* De morb. contag. lib. 2 cap. 10 *m* Horſtii de morb. cont. lib. 7 obſ. 22 *n* lib. 6. cap. 39 *o* Tetr. 2. Serm. 2. cap. 24. *p* De re med. lib. 5 cap. 3 *q* De morb. acut. lib. 3 cap. 9

ſtus *a*. Alii rurſum omni intermedio tempore urgentur malis huic furori propris, quod ex mirabiliſſimâ iſtâ hiſtoriâ Abelis Roſcii *b*. patet. Matrona quædam a rabido cane morſa in brachio ſiniſtro, quæ propriis remediis illic deſcriptis, putantibus ipſis, nullam in corpore venenum reſtare, evaſiſſe viſa eſt. Ecce ſeptimo abhinc anno cum ſymptomatibus ſæviſſimis corripitur, perſentit in brachio aliàs læſo, dolorem acerbiſſimum, veluti e caninis dentibus diſcerpi & dilaniari; Inde pauco interjecto tempore furor & mentis alienatio: ſubſequuntur meror, triſtitia, vigiliæ ſummæ, ſitis inexſpicabilis, febris tandem, & maxima virium proſtratio, ciborum omnium denique odium, nunquam tamen a potu abhorruit. Quæ ſymptomata paulatim miteſcendo propriis remediis abſolute ceſſaverunt. Poſt annos ſeptem ab hâc invaſione & decimo quarto a canis morſu; iterum iisdem fere ſymptomatibus tentari cœpit, rurſus ad ſanitatem reſtituitur perfecte. Sic manſit per annos ſex. Anno vigeſimo a vulnere accepto denuò recurrit affectus, ut in prioribus annis redibant eadem ſymptomata. His ſedatis. Anno ſequenti iisdem rurſus tentatur fæmina. Subſequenti anno repetiit malum bis. Anno proximo elapſo ter ita correpta fuit. Hoc anno (nempe quando ſcripſit hanc hiſtoriam) jam bis. Altera in Liſtero *c*. videri poteſt, quidam a rabido cane morſus eſt circiter viginti quinque annos ante iſtud tempus, qui in paroxyſmis ſuis convulſivum capitis de humero ad humerum admodum veloci vibratione concuſſum habuit cum dentium ſtridore & murmure in nocte canem quendam latrantem valde prope imitante, aliter homo quidem athleticus & ſanus erat in remiſſionibus.

Cauſæ procatarcticæ in hominibus:

Cauſæ procacarticæ hocce venenum latens in corpore excitantes ſunt; Aer æſtuans & ſiccus, ut in æſtivo tempore; *d*. Cibus cito ad alcalinum vel putridum vergens; Potus nimius fermentatus; Motus nimius vel Curſus; Animi affectus, ut Ira, mæſtitia &c; Vigiliæ, Veneris nimius uſus. Præterea pendet hæc diverſitas morbi incipientis a vario gradu morbi in animali mordenti; ut tardius in ſtadio primo, citius in ultimo: A loci morſi diverſitate, ut citius circa caput, (quia citiſſime cerebro communicatur ob vaſa communicantia) tardiùs e contra ad extremas partes: *e*. A morſus magnitudine vel a morſuum numero; A veneni quantitate humoribus, communicatâ. *f*. A temperie hominis morſi, quum bilioſi eo facilius vergunt, pituitoſi & hydropici contra; Ab variorum hominum ætate, ut juvenis citius, ſenex tardius *g*.

Homo

---

a Foreſti obſerv. lib. 10 obſ. 28 *b* Diſſert de hydroph. in Hildani, obſerv. chir. cen. 1 p. 66 *c* Exerc. de hydroph. p. 124 *d* Roſcii Diſſert. de hydroph. in Hildano obſerv. chir. cent. 1 obſ. 86 *e* Rudii de morb. occult. lib. 4 cap. 13 *f* Rudii. loc. cit. *g* Boerhaave Aph. 1137

Homo optimè ſanus contagio hocce infectus poſt varium tempus cauſâ procatareticâ accedente, ſe prodere incipit ferè hoc ordine.

Primum ſtadium morbi.

Dolor, ubi vulnus a rabido animali prius inflictum erat, ſentitur; *a* in nonnullis cicatrix livida aut potius nigra eſt; *b* poſtea in vicinis locis vagi & peracuti dolores *c* (Quaſi fila per partes traherentur, aut nervi ſalirent, ut verbis ægroti utar) cum ſtupore quodam ſe propagante per vicina loca, qui a communi origine cum loco affecto nervos accipiunt; dein plus minusve de capitis dolore, auriumque tinnitu, visûs quoque caligine veluti animalium minutorum tanquam culicum adſpectu, cum ſimilibus doloribus erraticis per totum quidem corpus, maximè per dorſum & tota circumcirca præcordia; *d* laſſitudo, gravitas, & tarditas in toto muſculoſo ſyſtemate; *e* Anxietas quædam ſine ulla ratione; cibi indigeſtio, ſtomachi gravedo cum vomendi cupidine; crurum atque brachiorum frequens extenſio; oſcitatio; *f* ſuſpiria; *g* ſomnus inquietus atque cum parvis deliriis interturbatus *h* ſæpiusque pavore expergiſcens; *i* Solito triſtior & cogitabundus eſt, atque nonnunquam timidus, hominum conſuetudinem conſpectumque fugit, multa animo fingit & obmurmurat cum falſâ & perturbata imaginatione, *k* ad rem haud reſpondet; *l* nonnunquam ſolito iracundior eſt; *m* ſitis & oris ſiccitas moleſta eſt; *n* inſueta querela de aëre inclementiore & quaſi auſtrino, quamvis ſerenus & mitis eſt; Ita difficilem tolerationem atque tædium & recuſationem imbrium, cum parvâ bibendi voluntate contra conſuetudinem, inter ſymptomata hydrophobiæ impendentis optimus ſcriptor hujuſce morbi Cælius Aurelianus *o* numeravit. Haec, penè antequam hydrophobia inſiliat, illam præcedunt atque prænunciant. Sanguis tunc e venis emiſſus optimè ſe habet tum colore, tum conſiſtentiâ tum proportione utriuſque partis ſeri ac craſſamenti rubri, atque ſanorum ſanè quam ſimillimus eſt. *p*

Secundum ſtadium

Tum poſtea priora augentur, acceditque porro appetentia bibendi, adeo ut ſæpius poculum petunt, & labiis vel linguâ guſtare poſſunt, ſed quando ad fauces pervenit; horripulatione & tremore fortè exſpu

a Rudii ex Petro ſalio Diverſo loc. cit. Rod: Fonſeca Conſ. med. Tom. 1 Conſ. 25
b Hildani obſerv. chir. Cent 4 obſ. 88
c Hildani loc. cit. Tulpii obſerv. med. lib. 1 cap. 21 *d* Cælii Aureliani de morb. acut. lib. 3 cap. 14 *e* Liſteri Exerc. de hydroph. p. 113. Howmus in Lowthorp abridgement vol. 5 p. 280 *f* Boerhaave aph. 1138 Riedlini in Actis Acad. Cæſar. vol. 1 obſ. 7 *g* Boerhaave loc. cit. *h* Cælii Aureliani lib. 3. cap. 11
i Cælii Aureliani loc. cit. Avicennæ lib. 4 fen 6 tract. 4 cap. 7. *k* Mathiolus in Dioſcoridis lib. 6 cap. 36 Hildani obſerv. chir. Cent. 1. obſ. 16 Mathioli loco cit.
l Paræi opera lib. 20. de venenis. cap. 12
m Celii Aureliani de morb. morb. acut. lib. 3 cap. 11 *n* Cælii Aureliani loc. cit. Avicennæ lib. 4 ſen 6 tract. 4 cap. 7. *o* Cælii Aureliani loc. cit. *p* Liſter Exerc. de hydroph. p. 117 Boerhaave aph. 1138

ſpuunt; *a* tamen nonnulli ſunt, qui ſumma difficultate, & timore deglutire poſſunt; *b* Quidam ſolummodo, ſi ullum liquorem diutius adſpiciant, aut liquidus potus ipſis offeratur, tremunt, ſudant, animo deficiunt, convelluntur, delirant, atque pavore ſummo concutiuntur: *c* Ut Artorius memorat militem quendam ſibi indignatum, qui in bello nulla vice timuerit, ſed nunc aquam cum vidiſſet, quæ eſſe conſuetudini jucunda ſolet, metu inerrabili terreretur; Eudemus Quoque Sectator Themiſonis refert fuiſſe medicum hydrophobicum, qui cum prænoſceret periculum, ſuppliciter ingredientes exoraret, & cum lachrymarum fluore guttis diſtiilantibus tangeretur, exiliens veſtem conſciderit. *d*) Deglutitio tamen ſolidæ cujuſcunque offæ poſſibilis, ſed id non ſine multo tremore & metu; *e* Ingens circa præcordia anguſtia; Reſpiratio diffiiclis & ſuſpirioſa; Pulſus denſus, parvus, inordinatus & nonnunquam intermittens; *f* Appetitus proſtratus; *g* Vomitus glutinis fuſci, & viridis aut bilis porraceæ; *h* Incaleſcentia; febris; vellicatio ſtomachi; *i* Os ægri ſæpius ſpasmo cynico diſtorquetur, & muſculi faciei variè contracti ſunt; *k* ſubito nonnunquam ſtragula impoſita rejicit, & ſtatim nudus e lecto ſurgens *l* veluti ebrioſus titubans & vacillans, ambulat; Vigiliæ aſſiduæ; *m* Vultus rubicundus & torve aſpiciens; *n* oculus trnculentus ubique contorquens & valde rubens; Priapiſmus cum ſeminis involuntario jactu, *o* urinæ reddendæ paulatim frequentatio; *p* aliquando cum ſtranguriâ laborat; *q* in quibusdam urinæ & excrementa alvi penitus ſuppreſſa ſunt; *r* Cogitationum alienarum & inſuetarum perturbata valde ſeries, *ſ* & quædam incongrua profert, ita ut inter loquendum ſubito ſubſiſtens, de aliâ re verba effutit; Corpns totum rubicundum eſt; ſudor partium ſuperiorum; leves quædam extremorum convulſiones ex intervallis fatigant, *t* cum corpore ſæpe ſubito ſubſiliente; ſalivæ continuo exſputio; amicis, qui in

---

a Tulpii obſeruſ. med. lib. 1. c. 20

b Dr. Mead Jones abridg. philoſop. Tranſact. vol 5. p. 367, 368 *c* Ætii tetr. 2. Serm. 2 cap. 24 Actuarii de meth. med. lib. 6 cap. 11 Pauli de re med. lib. 5. cap. 3 Dioscordis lib. 6. cap. 36 Gælii Aureliani loc. cit. Petri Foreſti lib. 10 obſ. 27 *d* Cælii Aureliani loc. cit. *e* Liſter p. 116 *f* Hildani obſerv. Chirur. Cent. 4 obſ. 88. Cælii Aureliani loc. cit. Foreſti loc. cit. *g* Liſter exerc. de hydroph. p. 116

h Sennerti Pract. lib. 1 par. 2 cap. 16 Dr. Mead in Jones abridg. Philoſoph. transact. vol. 5 p. 368 *i* Cælii Aureliani & Liſter loc. cit. *k* Turner in Philoſop. transact. abridg. by Lowthorp. vol. 3 p. 280 *l* Tulpii obſerv. 21 lib. 1 *m* Hildani loc. cit. Turners loc. cit. p. 282 *n* Ætii loc. cit. Howman in philoſ. tranſact. per Lowthorp vol. 3 pag. 280 *o* Cælii Aureliani loc. cit. Avicennæ loc. cit.

p Cælis Aureliani loc. cit. *q* Mead loc. cit. & Avicennæ loc. cit. *r* Hildani loc. cit. Liſter p. 120 *ſ* Avicennæ loc. cit. *t* Dioſcoridis loc. cit. Pauli loc. cit, Actuarii loc. cit Cælii Aureliani loc. cit. Avicennæ loc. cit.

antea eis erant cariſſimi, ſæpe, in nonnullis, maximum odium exoritur, adeo ut ſine ſummo furore & iracundiâ adſpectum ferre non poſſunt; *a* Aliqui auræ ſplendorem, lucem & omnia candida abhorrent & refugiunt. *b*

Omnia enarrata exacerbantur, & ſequi ſolet linguæ aſperæ exſertio *c* Cum hiatu oris inſtar canis; *d* Singultus; Vox rauca, obtuſa & velut latrabilis; *e* Vomitus fellis ac frequentius nigri; *f* Sitis ingens; *g* ſpumæ in ore & circa os collectio *h*; ſanguinem atrum & in grumos concretum nonnunquam exſpuit homo; *i* Ad conatum bibendi furor & ingens exclamatio, multi ſunt, qui ad contactum, adſpectum, vel etiam mentionem liquidorum, ſudant, tremunt, convelluntur, ſeſe abſcondunt, & ſummo pavore concutiuntur; & non minus in quibuſdam omnium, ſplendidorum, & politorum corporum intuitus illos diſcrutiat; *k* Tunc æger immanitèr vociferans, delirans, membra quoad licuit violentè agitans, ſpumante rictu frendens, in adſtantes projicere tentans, (cum magno roboris augmento adeò ut per tres vel quatuor homines vix contineri poteſt) terribiles nervorum ſpaſmos habens, modo hunc, modo illum, dentibus petens, & mordere certans, ſputum & ſalivam in alios cum conatu projiciens. canum more oblatrans, & alios inſuetos ſonos edens, nonnunquam domeſticos non agnoſcens, & tandem poſt quaſdam horas in eâ miſeriâ ſine ullâ furoris intermiſſione, crebrò convulſus, cum ſummâ reſpirationis anguſtiâ animam efflat. *l* Tertium ſtadium.

Sed hocce hìc etiam monendum eſt, rabidi frequenter remiſſionem habent, in quâ miſeriam ſuam agnoſcunt, ac amicis deplorant, morbique invaſionem ſentiunt; rogant & jubent, ut ſibi vincula injiciantur, ne ipſi in amicos & adſtantes irruant; eoſdemque monent, ne ori manum, aut quidlibet admoveant, ne morſibus lanientur. *m* Exacerbationes furoris cum diſtentione nervorum, totius corporis rubore præſertim faciei recurrunt, & ſæpius movet exaſperatque eos aquæ conſpectus; ſolvuntur autem cum frigidiuſculo ſudore, lan-

guore

a Mead loc. cit.

b Dioſcoridis, Actuarii, Avicennæ, loc: cit. Paræi lib. 20 de venen. cap. 12

c Cælii Anreliani, Foreſti, loc. cit. *d* Foreſti obſerv. lib. 10 obſ: 27

e Cælii Aureliani de acut: lib: 3: cap: 11 Avicennæ lib: 4 Fen. 6 tract, 4 cap. 7

f Cælii Aureliani loc. cit. *g* Avicennæ loc. cit. Foreſti loc. cit. *h* Sennert. pract. lib. 6 par, 8 cap. 31 Liſter Exercit. de hydroph. p 119 Turner in Lowthorp abrid. vol. 3 p 282 *i* Hildani obſerv. Chir: cent. 4 obſ. 88 De la Pryme in Jones abrid. of Philoſ. tranſact. vol. 5. p. 366 *k* Ætii tetr: 2 Serm: 2 cap. 24 Pauli de re med: lib. 5 cap: 3: Hildani obſerv. Chir: Cent: 1 obſ: 86 Cælii Aureliani loc: cit: Paræi lib: 20: de venenis cap: 12

l Diſcoridis lib. 6. cap. 36. Actuarii de re med. lib. 6. cap: 11: Pauli loc. cit. Avicennæ loc cit: Hildani cent: 1: obſ: 86: Foreſti obſerv. lib. 10. obſ. 27: & 28: Paræi loc cit. Tulpii obſerv: med: lib: 1: Cap: 20: *m* Bellini de morb: cap: p: 507

guore quodam, & virium resolutione: Hi vel in paroxysmo, moriuntur convulsi plerumque, ut antea memoratur, vel crebriùs in remissione, pulsu & respiratione deficientibus, sudore gelido e toto corpore manante, alternante identidem syncope, imbecillitate virium auctâ placidè & mente constanti, alii peripneumonici, alii voce abscissa apoplectici facti citò e vita migrant. *a*

Et porro pauci sunt, qui nunquam delirant, sed mente sanâ & intellectu perfecto ad ultimam vitæ horam constant. Ut D. Petrus Michael de Heredia scribit, vidi juvenem hydrophobicum factum, qui liquida vehementer exhorrescebat, nullumque alium terrorem in eo percepi. De omnibus enim interrogatus exquisitam rationem reddebat, percontatus a me quampluriès. Ita in historiâ istâ traditâ per Doctorem Howman apparet; Idem quoque memoraverunt. Jos. de Aromatariis & Abel Roscius. Hi vel ut in remissione, vel quasi paralysi apprehensi vitam cum morte commutant. *b* Hi omnes plerumque in quarto, quinto, vel sexto die a symptomatum invasione obeunt. Ut ex authoribus hâc paginâ citatis apparet.

Dissectioni effectus patentes: Ex paucis audacioribus hominibus acceptum referatur, qui cadavera hocce morbo extincta inspicere vellent, tales effectus in nostris corporibus per huncce morbum productos fuisse. Corpus prorsus extenuatum, ac si hecticâ diuturnâ tabefactum *c* cum superficie nonnunquam lividâ *d*. Caro musculosa omnis, ut & pinguedo penè consumpta, omentum item penitus absumptum, ut intestina flatibus distenta nuda jacerent, mesenterii glandulæ & pancreas prorsus Extenuatæ. Hepar in parte convexâ sano simile, in parte concavâ inflammatum & gangrenæ proximum *e*, in quibusdam durum & colore flavum in totâ suâ substantiâ *f*, sinister lobus tam firmiter lieni coalescens, ut non nisi sectione ab se invicem possent separari; Vesicula fellis bile viridiusculâ plena, costis itidem arcte adhærens; *g* In Ventriculo multum viridis viscosæ bilis, *h* Interior tunica ventriculi corrupta, ut digitis posset abradi. Ejus superius orificium exile

a Aviennæ loc: cit: Hildani observ. chir: cent: 1: obs: 88: Tulpii cap: 21: lib: 1: Lister p: 119: & 120: Mead & De la Pryme in Jones abridgm: of Philos: trans: vol: 5: p: 367, 368, 369, Bonet. sepul: Anat: Tom: 1: lib: 1: sect: 8: append: *b* Abel: Roscii Dissert: in Hildano de hydroph: observ: Chir cent: 1: p: 65: Jos: de Aromatariis disp: de rab: contag: p: 25: Dr: Howman in Lowthorp abridgem: of the Philos: Transact: vol: 3: p: 281: Mich: de Heredia lib: 1: disp: 1 cap. 1 de Hydrophobiâ.

c Boneti sepulcretum Anat. Tom. 1. lib. 1. Sect. 8. obs. additam. *d* Turner in Lowthorp abridg. of Philos. transact. vol. 3. p. 282. *e* Boneti loc. cit. *f* Jones abridg. of Philos. transact. vol. 5. p. 369. *g* Boneti loc. cit. *h* Mead in Jones abrid. vol. 5. p. 368.

exile admodum, ut & totus Oesophagus angustus valdè, & quasi contractus *a*. Fauces aridæ & Inflammatæ, sinister lobus pulmonum niger cum vesiculis gangrænosis super superficiem ejus intertextis; Vesiculæ sanguine atro plenæ; *b*. Totusque pulmo, coacervato omni fere cruore, incredibiliter plenus *c*.; Pericardium siccum; Dextra auricula cordis insigniter tumens; ventriculus dexter sanguine grumoso plenus, in sinistro sanguis planè fluidus *d*. Arteriæ plenæ, venæ vacuæ. *e*.

Tanta periculorum cohors omnia genera experimentorum circa hunc morbum instituta comitatur, ut summo jure hominum conatus ad extricanda nonnulla phænomena impediverit, & investigationem amplam in isto morbo maximè deterruit: Quamobrem multa cognitu utilia occulta sunt. Tamen dolor iste quasi subsiliens, gradatim a parte progrediens, dolor similis capitis, aurium tinnitus, visus caligo, somnus turbatus, sanguis tamen bonus, spasmus cynicus, leves partium convulsiones, & omnia alia symptomata cum totâ Ætiologiâ morbi benè perpensa probare videntur eam primò in affectione nervorum consistere; Ut Democritus & Gaius Herophili sectator multis ante seculis rectè putabant. *f*. Proximè referenda sunt ad convulsiones, quæ Oesophagum, Pulmones, Cor. Diaphragma, Ventriculum, aliaque vicina viscera, & horum vasa occupant, ut Ephesius existimabat. *g*. Deinde febris & vitium inflammatorium sanguini, humoribusque, ut Cl. Boerhaave *h*. benè observavit, & a phœnomenis in dissecto cadavere planè demonstratur. Sedes morbi.

Mihi videtur authores ferè omnes in curatione internâ, tam prophylacticâ quam therapeutica erraffe. Quicquid enim Dioscorides, Galenus, Ætius aliique antiqui authores, cum recentioribus, Cælio Aureliano sejuncto, scripserunt, omninò indicantibus oppositum reor. Nil enim nisi Theriacalia, Ellebora, Colocynthides, Cantharides taliaque prescripserunt; vel nonnullum specificum summis laudibus extulerunt, ex quâ inani specificorum jactantiâ, neglectâque methodo medendi ex Ætiologiâ morbi petitâ, medica ars magnum detrimentum accepit. Curatio morbi prophylactica.

Curatio enim prophylactica nil aliud est, quam causis procatarcticis impeditis, ne cum causâ proegumenâ conjunctis, talia symptomata excitarent, quæ morbum constituunt. Inter hujusce morbi causas procatarcticas observatum est; omnia, quæ corpus & sanguinem maximè calefaciunt, morbum cient. Hinc Theriacalia & quæ febrim maximam faciunt, damnosa sunt. Nam idem est, an corpora nostra per ista medicamenta calefacta sunt, vel per ulla alia non naturalium, nisi secundam artem occidi jucundum est. Et summa ratio, quod in prophylacticâ curatione tam prosperi fuerunt, mihi videtur, quia chirurgicam partem optimè tractaverunt, & ulcus tam diu apertum tenuerunt. Ista enim cum submersione in aquâ certissima est prophylactica, quam habemus, ut postea ni fallor, apparebit. Et Cornelius Celsus *i*. cardinem curæ in eis posuit.

a Boneti loc. cit. *b* Jones loc. cit. p. 369. *c* Boerhaave Aph. 1140. *d*. Boneti loc. cit. *e*. Boerhaave loc. cit. *f* Cælii Aureliani de morb. acut. lib. 3. cap. 14. *g* Cælii Aureliani loc. cit. *h* Boerhaave Aph. 1142. *i*. De re med. lib. 5. cap. 27.

Inter prognostica; quod anteaquam adeo usque invaluerit vitium, ut aquam formident; salus in vado navigat: postea vero temporis ex orci faucibus servatum neminem. *a*.

Ideoque opera danda est, ut quamprimum homo a cane vel ullo alio animali rabido morsus est; aut linguâ, ore, aut alio modo venenum rabidi animalis tetigit, ne in rabiem aut hydrophobiam incidat; Et quamvis ab initio nulla symptomata percipiantur, nisi dolor ubi sauciatur, ei quam celerrimè per receptam curationem auxiliari oportet, etiamsi parvum & in superficie consistens fuerit vulnus, de hâc re enim pro certa habeatur, quòd paucissimi ex iis, qui non probe curati sunt, effugiunt. Ut Ætius bene monuit. *b*.

Curatio prophyl. a submersione.

Duo ergo hìc medico agenda sunt. Primò rectam intentionem sequi ad præcavendum morbum. Secundò ad eum vero natum profligandum, (si possibile est) summo conatu contendere. At hic labor; hoc opus est.

Ubi itaque a rabido animali quisquam sauciatus est, id faciat, ut commercium omne partis affectæ cum cæteris sanis quam citissime intercludetur.

Ideoque in majoribus Plagis abscedentes carnes hinc auferre, & labia vulneris acie scalpelli circumscribere, prehensam hamulo, volsellâ carnem amputare; In minoribus vero locum affectum & circumstantia loca altioribus ulcusculis scarificare oportet. Postea sæpius applicandæ sunt magnæ cucurbitæ sanguinem fortitèr trahentes, ut jugis fluat Rivus. Si forte autem demorsæ parti non adhiberi possunt post scarificationem, quam copiosissimus sanguinis fluxus incitetur. *c*. vestimenta & cætera, quæ venenum attingere vel afflare potuit, cautè abjicienda & vitanda sunt. *d*.

Deinde poscâ calidâ (in quâ parum salis marini dissoluta est) loca circumjacentia diligentèr abluere non inutile erit; si v. gr. morderetur ulnaris externus, ut totum membrum istâ bene abstergeatur. In quâ autem elucet singularis providentia & solertia Cl. Hildani *e*. qui unicè eam rem memoravit & commendavit, quousque vidi. Saliva enim (ut rectè observavit iste) canis rabidi, si in parte aliquâ cutis exsiccata, nisi maturè, diligentèrque abluta & abstersa fuerit, rabiem excitare potest.

Postea audactèr atque satis altè si pars affecta consentit; imprimendum est cauterium admodum ardens, istud enim a multis seculis approbatissimum est remedium in rabidorum morsu. *f*. Tanta enim (ut ait Hildanus

a. fer-

---

a Ætii tetr. 2. Serm. 2. Cap. 24. Dioscoridis lib. 6. cap. 36. 39. Pauli de re med. lib. 5. cap. 3. Foresti observ. Lib. 10. Schol. ad obs 28. Paræi opera. lib. 20. de venen. cap. 14. Valeriolæ obs. med. lib. 3. obs. 3. Rudii de morb. occult. lib. 4. cap. 13. *b* Ætii loc. cit.

c Dioscoridis lib. 6. cap. 37. Ætii loc. cit. Actuarii de meth. med. lib. 6. cap. 11. Celsi loc. cit. Avicennæ lib. 4. Fen. 6. Tract. 4. Cap. 9. Foresti Loc. cit. Paræi loc. cit. Hildani Cent. 1. obs. 87. & Cent. 2. obs. 98. Fracastorii de morb. cont. lib. 3. cap. 9. Severini de effic. med. par. 2. Enar. cap. 64. Rudii de morb. occult. lib. 4. cap. 14.

d Boerhaave Aph. 1143. *e* Observ. chir. Cent. 1. obs. 87. Cent. 2. obs. 98.

f Dioscoridis cap. 38. lib. 6. Ætii tetr. 2. Serm. 2. cap. 24. Actuarii de meth. med. lib. 6. cap. 11. Corn. Celsi de re med. lib. 5. cap. 27. Foresti observ. lib. 10. Schol. ad obs. 28. Paræi de ven. lib. 20. cap. 14. Rudii de morb. occult. lib. 4. cap. 14. Hildani loc. cit.

a. ferri candentis vis eſt in hocce affectu, ut hoc ſolo morſus rabidorum animalium, nullis aliis adhibitis alexipharmacis empyricum quendam curaſſe obſervaverim. Et paulo poſt hæc verba habet. Id tamen notandum eſt, ſi inuſtio ferri candentis non ſatis profunda facta eſt, virus hocce domare non poteſt. Et in Centuriâ primâ obſervationum: *b*. Monitos velim (ait) Tyrones Chirurgos, ut diligentèr proſpiciant, ne nimis leviter & ſuperficialiter inurant hujusmodi morſus, ſed ut potius in exceſſu quam in defectu peccent. Quum enim morbus ſit extremus, extremum quoque requirit remedium. Expertus loquor. Filia enim Sebaſtiani Cuiſneri, fruſtrà paſſa eſt cauterium ab empyricâ vetulâ adhibitum, quod non ſatis profundè impreſſum fuiſſet. Poſteaque dicit ex levi applicatione cauterii duo ſequuntur incommoda. Non enim ſatis conſumitur virus illud atque malignitas a cane relicta, & maturè nimis coaleſcit ulcus. Hinc remanens portio aliqua veneni in parte affectâ tandem ſerpendo ad partes principes venit, eaſque in perniciem trahit. Hæc ab Hildano.

Peractâ inuſtione, Eſchara primâ vel ſecundâ die blandè cum ſcalpello & hamulo, quantum fieri poteſt, ſeparanda atque excitanda eſt, ne portio aliqua ipſius viri in cruſtâ ex combuſtione remaneat, & dum putreſcit, iterum per venas capillares ad majora vaſa tranſeat, parteſque nobiles paulatim obrependo inficiat. *c*.

Dein imprimis invigilandum eſt ne ulceris oræ coaleſcant, & cicatrice induantur, conſtitutum autem ad tempus ulcerationes etiam inflammationes minitantes prorogari convenit. *d*. De præfinito tempore plerique authores ad quadrageſimum vel ſexageſimum diem id fieri volunt. Multò autem tutius erit puto ad decimum vel duodecimum menſem ulceris conſolidationem differre; vel ad minimum per ſex menſes; Ex intempeſtivâ enim cicatricis inductione multos hydrophobiâ correptos fuiſſe experientia docet, Ut Paulus, Actuarius, Foreſtus, Hildanus memoraverunt *e*.

Monachus Auguſtianus quamvis duos ferè menſes vulnus apertum ſervatum erat, tamen poſt aliquot occluſionis dies rabie vexatus miſerrimè periit. Ut hiſtoriam tradidit Foreſtus. *f*. Porrò alteram habet Hildanus *g*. De quâdam muliere, ulceribus tamen adhuc apertis, quæ poſt duos menſes ſymptomatibus huic morbo propriis correpta erat: Quamobrem ad vulnera dilatanda coactus eſt, ut diutius apertum retineretur. Ita tandem benè convaluit. Ergo levia eſcharotica medicamenta, vel in pulvere vulneri inſperſa, vel linimentis deterſivis commiſta quotidiè admoveantur; inter quæ fortaſſe, Mercurius præcipitatus ruber præſtantiſſimus eſt Mathiolo obſervante *h*. ut in ſuppurationem perpetuam applicatu ejus adigatur. Et ſi fortè accidit, priusquam tempus poſtulat, cicatrice obducatur; vel inciſione vel cauterio potentiali vel actuali omninò ulcus novum facere opus eſt *i*.

a Obſerv. chirur. Cent. 2. obſ. 97. *b* Obſ. 87. *c* Hildani obſerv. chir. Cent. 1. obſ. 87. Cent. 2. obſ. 97. Cent. 4. obſ. 88. *d* Dioſcoridis loc, cit. Ætij loc. cit. Actuarii loc. cit. Pauli de re med. lib. 5. cap. 3. Avicennæ lib. 4. Fen. 6. tract. 4. cap. 9. Foreſti loc. cit. *e* loc. cit. *f* Obſerv. lib. 10. Obſ. 27. *g* Obſerv. chir. Cent. 2. obſ. 98. *h* in Dioſcoride lib. 6. cap. 38.

i Dioſcoridis lib. 6. cap. 38. Ætii tetr. 2 Serm. 2. Cap. 24. Actuarii de meth. med. lib. 6. cap. 11. Avicennæ lib. 4. Fen. 6. Tract. 4. Cap. 9. Foreſti obſerv: lib: 10. Schol. in obſ: 28: Hildani loc: cit:

Interim toto illo tempore ab initio ad finem semper foveatur muriâ ex sale marino, & aceto, nunquam intermittendo. *a*.

Hæc enim præservationis potior & tutissima pars est, quâ rectè habitâ, nullus unquam rabie tentabitur, inquit Rudius, *b*. quod quoque confirmatus Hildano *c*.

Curatio prophyl. a submersione.

Altera tamen non minus bona est subita submersio, & ad rectam prophylaxin instituendam, quoque adhibenda. Statim ergo post infectionem, magno cum apparatu, metuque incusso, sæpe minitando tandem præcipitem in mare vel fluvium dando, aliquamdiu submersum tenendo, iterum mergendo, id repetendo, aliquoties cum iisdem circumstantiis omninò opus est. *d*. Quam Cornelius Celsus *e*. primùm laudavit, idque ait; quum ita per triduum factum est; tutus esse homo a periculo videtur, & ad tempora nostra summo fructu hocce auxilium persequutum est: scribit Tulpius *f*. tanti in hocce morbo fit a nostratibus, ut eo solo fermè contenti, vix expectant aliud. Neque sane injuriâ: Sanat quippe mare quoscunque. Nec vidi hactenus quemquam (licet viderim plurimos, cui tempestivè in mare projecto, quicquam sinistri postmodum evenerit. Sed salutari hoc remedio vel floccè facto, vel tardè & timidè adhibito, dedere multi irreparabiles, supinæ suæ injuriæ pænas. Et observat Forestus, *g*. nostri vero demorsos a cane rabido ad oceanum mittunt, ut in principio ibi ter aquâ marinâ immergantur, & postea omnes tuti ab hoc malo evasisse videntur.

Per sudorem.

Omni mane jejunus æger bibat acetum paululum aromaticum factum cum Rutâ (quæ, ut observat Hippocrates *h*. adversus venena valet) vel uno trium Santalorum, vel Raluris Sassafræ cum sale marino & aquâ dilutum, ut parum sudet: Quæ methodus Boerhaviana *i*. multo mihi præstantior videtur, quam ista Dioscoridis, aliorumque antiquorum ante & post cibos sudare. Per totum tempus corpus perspirabile tenendum est.

Quotidie pedes, manusque balneo aquæ foveat, caput lavet; os faucesque colluat, ut ipsi nervi fere aquosi fiant. *k*.

Per purgationem.

Omnes fere authores crebram purgationem commendaverunt, quæ certè bona prophylactica est; colocynthidem autem Hellebotum &c, ut isti volunt, maxime damnosa fieri puto; quia febrim faciunt ideoque ad morbum disponunt, ut clare causis procatarcticis bene perpensis appareat. Sed potius sennâ Rhabarbaro, Tartaro solubili &c. quæ alvum sæpius exonerant & corpus non ita calefaciunt, purgationes instituerentur. *l*.

Quoque alvi & urinæ quotidie egestionis summa cura adhibenda est. *m*.

Per Venæ Sectionem.

Si quovis prophylacticæ curationis tempore corpus plethoricum fieret non inutile erit venam secare *n*.

Per non naturalia.

Ira, excandescentia, mæror, & graves aliæ animi perturbationes, curæque omnes declinandæ sunt, venus in totum intermittenda, dum suspectum tem-

---

a Boerhaave Aph: 1143: *b* De morb: occult: lib. 4: Cap: 14 *c* Observ. chir. Cent. 1. obs. 87. Cent. 2. obs. 97. 98: Cent: 4: obs. 88: *d* Boerhaave loc: cit: *e* De re med: lib: 5: cap: 27: *f* Observ. Med. lib. 1: cap: 20: *g* Observ: lib: 10: obs: 28: & Schol: ad obs: 28: *h* De victûs ratione lib: 2 Sect: 4: *i* Loc. cit. *k* Boerhaave Aph. 1143.
l Boerhaave loc. cit. *m* Ætii tetr. 2 Serm. 2. Cap. 24.
n Avicennæ loco cit.

tempus præterierit. *a*. Pro recto usu aliarum rerum sex non naturalium promulgare leges fere impossibile est; ab diversis enim ætatibus, hominumque consuetudinibus, in diversis anni temporibus, variisque regionibus ita diffident; sive consideraveris effectus aeris, cibi, potus, motus, medicamenti, veneni, sive consideraveris reliqua; ut observatio earum omni homini æqualiter non prosit. Ergo ad istos inimitabiles libros Institutionum & Aphorismorum Cl. Boerhaavii referam, sub istis capitulis in aphorismis fibræ rigidæ, alcalini spontanei, motûsque circulatorii excessûs; hujus enim corporis Diatheses summo conamine evitandæ sunt, omniaque, quæ ad eas adducunt maximè præcavenda. In institutionibus a sectione 1018 ad 1067 strictâ observatione causarum procatarcticarum & amplâ morbi effectûs consideratione, quis optimas regulas sibi alliceret.

Nunc ad miserrimum genus morbi accedimus, in quo simul æger, & siti & aquæ metu cruciatur: quo oppressis in angusto spes est, Ut optimè prognosticavit Cornelius Celsus; *b*. Dioscorides *c*. Quoque multis ante seculis, ex iis qui jam hoc vitio sensissent, neminem unquam se servatum vidisse testatur. Ergo medicorum nemo in suis temporibus, ut scribit Cælius Aurelianus *d*. istius passionis tradidit curationem. Et vulgus nostrâ hâc ætate ea tentatos, dum nullo remedio restitui posse reputat, vitæ pariter ac morbo strangulatu finem imponunt. Triste profectò & crudele nimium spectaculum. Opus enim non est ut bene arguit Tulpius *e*. mortem maturare sive per culcitram ori impositam. Pereunt quippe, per se, satis celeriter: utpote rarò superstites, cum aquæ formidine, in diem, vel tertium vel quartum. Curatio morbi Therapeutica.

Curatio enim hujus morbi (ut observavit Cl. Boerhaave) videtur tentanda maximè in primo gradu & initio secundi, imprimis quum aliter funestissimo exitu neglectus plectatur. Et morbi vero symptomata effectusque acri judicio perpensi & paucis experimentis confirmata probare videntur, in hoc stadio sequentia fieri debere. Per venæsectionem ex lato vulnere primò ingens sanguinis quantitas educenda est, *f* audacterque sæpiùs repetenda; iste felicissimus eventus hydrophobiæ sponte natæ a Doctore Innes traditæ, & maxime per venæ sectionem sæpissime repetitam sanatæ, virisimile facit. *g*. Per Venæ Sectionem.

Detondendum est postea Capillitium.

Illud deìn erit affectandum, ut si omninò potum recusaverint, quâlibet tamen parte quiddam liquoris assumant, nullâque indignatione ægrotantes afficiantur visu perterriti; Est præclarissimum consilium Cælii Aureliani. *h*. Et ita facere poterimus, dicit, si clysteres parva quantitate injiciamus, sæpiusque repetamus. Quod per anum corpus nutriri potest, & remedia per eum data morbos æque repellunt quam per os a recentioribus experimentis abunde confirmatum est. Ideoque omnia medicamenta blanda, diluentia, humectantia, emollientia, antiphlogistica & refrigerantia, primâ secundâ vel tertiâ quâque hora per anum in formâ clysteris danda sunt parvâ quantitate, ut quam minimum iterùm rejiciatur. Per Clysteres.

Præfiscinè dixerim; si aqua jam ebullita paululùm nitrata, cubiculo prius obfuscato; ne formidinem incutiat, in Lavacris alto margine cinctis, numerosis undiquaque circumponatur; ut per venas imbibentes vaporibus totum corpus humectetur, longoque infundibulo hujusce Atmosphérulæ blande tru- Per vapores.

a Palmaris de morb. cont. lib. 5. Cap. 3. *b* De re med. lib. 5. ca. 27. *c* lib. 6. Cap. 39. *d* De morb. acut. lib. 3. cap. 16. *e* observ. med. lib. 1. cap. 20. *f* Cælii Aureliani de morb. acut. lib. 3. cap. 16. Avicennæ lib. 4. Pen. 6. tract. 4. Cap. 9. *g* Medical. Essays Vol. 1. p. 283. ad 290. *h* Cælii Aureliani de morb. acut. lib. 3. cap. 16.

tepidiusculè asperge ex vase appropriato attracta, ad os & nares determinetur, quæ certe fauces, œsophagum, ventriculum, asperam arteriam, Pulmones, multas partes capitis, ut verbo dicam omnia, quæ in vaporis contactum veniat, copiosissime irroraret, & amplissime a vasis absorbentibus exhauriretur, & cum sanguine aliisque fluidis corporis circumferatur. Sanguis enim hic exustus est & partes aridæ gangrænosæ inflammationi proximæ, ut dissectio doceat; quia nil bibunt ægri & nullum diluens, nullusque chylus sanguini valde moto accedit; hinc puto illos non a veneno sed ab effectu veneni, mori: Et ni fallor, hæcce methodus cum summo judicio curâque adhibenda absque ullâ ægrotorum indignatione maximò fructu sequeretur. Sed quantum scio, experimento eget. Ergoque altioris Indaginis emunctæ, magis gnaris peritioribusque viris manus libens do.

Per submersiones. Præterea unicum tamen remedium est inquit Cornelius Celsus. *a.* nec opinantem in piscinam non ante ei provisam projicere. Et si natandi scientiam non habet modo mersum bibere pati, modo attollere. Si habet interdum deprimere, ut invitùs quoque aquâ satietur. Sic etiam simul sitis & aquæ metus tollitur. Bene autem observat aliud periculum excipit, ne infirmum corpus in aquâ frigidâ vexatum, nervorum distentio absumat. *b.* Quod ægroto Doctoris Mead. *c.* eveniebat, qui immersus convellitur. Id, ne incidat a piscinâ protinùs in oleum calidum demitti consulit, vel fortasse oleo inungere, (ut Avicennena. *d.* vult) æque valet. Narrat Ætius, *e.* Philosophus quidam morsus a rabioso cane, & generoso animo affectioni resistens, & inconsequens ratus canem in balneo apparere, ratiocinatus igitur, & sic secum loquutus: quid cani & balneo commune est? superavit affectionem & sanatus est, ubi citra timorem bibisset. Mirabilem quoque historiam boni istius exitus narrat Van Helmont. *f.* Quidam hydrophobicus vir, funibus in nave vinctus, nudusque jacens post binies in aquâ salsâ submersiones, usquedum fere suffocatus est, & mortuo similis, tandem supino dorso jacens muriam ejecit, postea bene convaluit & sospes vixit. Si hæcce autem methodus commode non applicari potuerit, tunc aquæ frigidæ injectù humectandus est æger, tamdiu donec aquam vix amplius paveat; tum statim plurimum aquæ bibere cogatur; & de die sic vexato, vesperi concilietur somnus. *h.*

Qualis cibus & potus. Cibus dandus tenuis & sorbilis, cum cibo etiam potus inducatur: ut panis aquâ infusus, vel alica ex aquâ: sed oportet ad propria tempora dandi servare cibum & potum: quod fiet hâc ratione, ut ex obliquo fabulantes de consuetâ vitâ loquantur, lavacra memorando atque bibendi copiam. Tunc si ægris his dictis placidi permansetint, fidenter offerimus potum, tempore demissionis invento.

Quales ministro. Oportet denique etiam ministros aptissimos esse, & primo ut sunt taciti, nec fabulas injicientes, sed ejus dictis respondentes, & ita respondentes, ut cedenter, ac sine ullâ resistentiâ eum consentiendo coerceant; atque ejus visa, quæ mentis falsitate efficiuntur, eidem sensim displicere atque incredibilia faciant. Est enim omnifariam mitigationi passionis providendum, ut nulla occasio detur excitandi furoris. Hæc a Cælio Aureliano. *i.* Jam Lector Benevole ad conclusionem perventum est. Hinc vidimus est illa humorum nostrorum, vel dum athletice valemus, indoles, ut a minimis, iisque paucissimis sæpe corpusculis in venas infusis, adeo mirifice mutetur tota natura nostra, ut & omnes corporis actiones prorsus aliæ evadant, atque ipsum singulare ingenium cujusque humoris penitus a pristinâ suâ natura alienum fiat. Adeo semper varium & mutabile Homo! *k.*

a lib. 5. cap. 27. *b* loc. cit. *c* Jones abrid. of philosoph. Transact. Vol. 5. p. 368. *d* lib. 4. Fen 6 tract. 4. Cap. 9: *e* Tetr. 2. Serm. 2. Cap. 24. *f* In demen. Ideâ *h* Boerhaave Aph. 1144. *i* De morbis cut. lib. 3. cap. 16. *k* Prefat Boerhaavii ad Aphrodisiacum.

F I N I S.

